DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

INCUBO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

ANTONIUS GEORGIUS FORBES,

EX INSULA SANCTI CHRISTOPHORI,

SOCIET. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTR.

SOCIET. STUDIOS. NAT. EDIN. SOC. EXTR.

NEC NON

SOCIET. CHIRURG. OBSTET. PRÆS. AN.

Somnia, terrores magicos, miracula, ſagas
Nocturnos lemures, portentaque Theſſala rides? HOR.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVIII.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
INCUBO.
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE
ET
EX AUCTORITATE
D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.
ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAESIDIS
AMPLISSIMI
NEC NON
EXIMII MEDICINAE PROFESSORIS
CELEBERRIMI
ET
REVERENDISSIMI ADMODUM VIRI
D. GULIELMI ROBERTSON, A.M.
ECCLESIAE EDINBURGENAE PASTORIS
DIGNISSIMI
ET
REGIARUM SOCIETATUM LONDINENSIS ET EDINBURGENSIS
SOCII
PRO GRADU DOCTORIS
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT
ANTONIUS GEORGIUS SORBK,
E PROVINCIA SANCTI CHRISTOPHORI,
SOCIETATIS REGIAE EDINBURGENSIS SOCIUS EXTRAORDINARIUS,
SOCIUS ETIAM MEDICORUM EDINBURGENSIUM,
NEC NON
SOCIETATIS MEDICAE CANTABRIGIENSIS.

Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit eſculetis,
Nec Jubae tellus generat, Leonum
Arida nutrix.

HOR.

———Eat quacunque, puellis
Injiciat curam quaerendi ſingula, quali
Sit facie, ſura quali, pede, dente, capillo.

ID.

Or, je demande s'il n'èſt pas plus naturel de rapporter une pareille depravation d' idees a un organe materiel affecté par une cauſe morbifique, qu'a un étre ſpirituel, qu'il faudroit ſuppoſer être ſuſceptible de changer de modification ou de maniere d'être, ce qui ne peut convenir qu'a la matiere.

Fabre ſur les facultés de l'ame.

AVUNCULO SUO DILECTISSIMO,

ANTONIO GULIELMO SOMARSALL,

ARMIGERO,

UNI E SENATORIBUS CONCILII POPULARIBUS

IN INSULA SANCTI CHRISTOPHORI,

S. P. D.

ANTONIUS GEORGIUS FORBES.

JUSTIUS equidem nulli quam tibi, vir honoratissime, qui me, unguiculis adhuc teneris, securum praestabas, quique, aetate jam firmiore, meusque sicut filium tuum amatum, amantissime curas, hancce opellam medicam sacrare possum. Cura tua, fere amplius paterna, mihi semper praesidio fuit, pueritiae errores delictaque leniter redarguit, et semitam (ah! nimium insidiis circumsessam) quae tuto virilem ad aetatem ducit, solicitissime designavit. Te, nullo tempore, non praestitisti munificum, munificentia vero nunquam magis eminuit, quam, quo, minus ipse eam demerebar.

rebar. Pro his tahibuſque quamplurimis benigne factis, quaenam, O mihi decus! tibi reddam? Quam multum laetor, quod hodie, confecto ſtudiorum medicorum curriculo, tuam integritatem, amicitiam, et erga me benevolentiam, vulgare mihi contingit! Avuncule mi cariſſime, haſce meas, qualeſcunque ſint, ſcientiae medicae primitias, animi tuorum omnium beneficiorum memoris pignus quamvis impar, ſincerum tamen debitumque, quaeſo, ut accipias. VALE!

Edinburgi prid. ante
Id. Septembr. an. 1788.

Propinquo ſuo

Et amico ſpectatiſſimo,

GULIELMO STEVENS, M. D.

Concilii,

In Inſula Sancti Chriſtophori,

Senatori incorrupto;

Viro,

Non magis muniis publicis

Fideliter obitis,

Quam virtutibus privatis et domeſticis,

Nobilitato;

Leve ſui amoris et obſervantiae

Teſtimonium,

Hocce ſpecimen medicum

Quoque dicare

Voluit

ANTONIUS GEORGIUS FORBES.

Propinquo suo

Et amico spectatissimo,

GULIELMO STEVENS, M.D.

Civili,

In India Sancti Christophori,

Senatori incorrupto;

Viro,

Non magis urbis publicis

Videlicet obitis,

Quam virtutibus privatis et domesticis,

Nobilitato;

Leve sui amore et observantiæ

Testimonium,

Hocce specimen medicum

Quoque dicare

Voluit

ANTONIUS GEORGIUS FORBES.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

INCUBO.

ANTIQUOS inter ſcriptores non multi, quantum novimus, hunc ad morbum animadverterunt; quique tractarunt, dum cauſis eum praeter naturam attribuebant, ii curſus devii, nunquam rationem juſtam, nedum viam ſublevandi, inventuri, ſemet ſophiſmatis abſurdis demum implicabant. Vana, ſcilicet, impediti ſuperſtitione, qua numini daemonum, irae miniſtrorum divinae in homines ſceleſtos, incu-

bum referre in animum induxere, indolem ejus aeque ac curationem inveſtigare ſummum nefas cenſuerunt *. Si autem fas alicui unquam viſum, tamen, et anatomiae ſcientiae et ſanguinis praeſertim circuitus omnino ignarus, ullam explicationem fide dignam, nunquam daturus eſſet.

Nec

* Sic, ab antiquiſſimis etiam temporibus, ſolenne fuit, morborum, ſi non omnium, ſaltem multorum, originem et cauſas, ad numina offenſa, aut daemones iratos, aut ſidera malignius micantia, aut artem magicam, referre, et idoneam, quaeque his cauſis reſponderet, medendi rationem inſtituere, donec variis piaculis, et ritibus ſuperſtitioſis, et carminibus magicis, pacatis numinibus aut daemonibus, expiata et ſemota malignitate ſiderum, fruſtrataque magice quae noceret, et ſic ſublatis eorum cauſis, ſemet urgentibus malis liberarent.—*Conſp. Med. Theoret. Praefat. p.* 30.

Nec quidem recentiorum inveſtigationes, quamvis alias propter cauſas, multo melius votis ceſſerunt. Metaphyſici, in mentem ſolam converſi, nexumque eam inter et corpus nimium negligentes, et inſuper medicae artis imperiti, hocce malum animo penitus retulerunt. Dum neſciunt de quo vel quomodo garriunt, interea aeger auxilii inops ſpeque deſtitutus langueſcere linquitur. Hoc de errore memorans auctor clariſſimus, cujus memoria, quamdiu ingenio et virtuti eximiae juſta ſuaque ſuperſint praemia, ſacra habebitur, aptiſſime obſervavit. "It has been," ſuis enim verbis utar, "the misfortune of moſt of thoſe who "have ſtudied the philoſophy of the hu- "man mind, that they have been little ac- "quainted with the ſtructure of the human "body, and with the laws of the animal "oeconomy;

" oeconomy; and yet the mind and body " are ſo intimately connected, and have " ſuch an influence upon one another, that " the conſtitution of either, examined a- " part, can never be thoroughly under- " ſtood *." Contra, qui omnes phaenomena oſtendere ſingula de corpore pendere conati, ii quoque non niſi theorias mancas et imperfectas obtulerunt. Errores difficultateſque, quibuſcum hi praecipue impliciti ſunt, origines, ut mihi videtur, nimis ex arcto ſignorum proſpectu, traxerunt: His, enim, ea cura, qua decuit, perpenſis, quam plurima quidem ſe obtuliſſent, quibus eorum ratiocinationi obſtatum eſſet.

Nihil

* Vide Gregory's comparative View of the State and Faculties of Man with thoſe of the Animal World.

Nihil verisimilis, ut apparet, de incubo fere traditum fuerat, ante annum 1751, quo Doct. Bond in dissert. inaug. apud Edinb. edita, quaedam nova et quidem probabiliora in lucem prodidit. At errores et hic inveniuntur; namque prorsus certis causis addictus videtur, aegriusque omnia satis perspicit.

Haec hactenus de causis dicta quae hujusce naturam affectionis tamdiu obscuram reddere contribuerunt, proximum est, ut eam, qualis sit, et quaenam jucundior effectis gravioribus subveniendi methodus, pro virili parte inquiram.

HISTORIA.

HISTORIA.

Hic morbus, ſi recte ita dicitur, hominibus non, niſi dormientibus, inſilit. Tempore, quo corpus animuſque, curis ac laboribus defeſſi, vires ſuas in ſomni amplexibus maxime reficere avent, immiſericors incubus aggrediens illud opprimit, huncque vanis perterret. Quam ob rem partim, partimque ob ſenſationem, quam conqueritur aeger, malum a Gracis εφιαλτης, Latinis *Incubus*, Anglis *Night-mare*, *Hag-riding*, &c. dictum eſt: Nomina omnia, quamvis in aliis, et etiam in eadem lingua, alia, tamen eandem ad notionem quodam tenus referenda ſunt.

Reſupine

Reſupine obdormiſcentes ſaepius corripit. Acceſſum paroxyſmi comitantur ſomnia dira, quae exquiſite ficta, varieque inter ſe conjuncta, aegri animum perquam terrent vexantque ineffabili aegritudine. Ea aliquamdiu durant et angor, immo augentur, et fere intoleranda evadunt.

Spectrum decumbens vidit, ſaltemve ſe videre imaginatur, quod, cum dormitorium ſuum intraſſet, viſu horrendum, furtivo cum inceſſu ſeſe lectulo admovet. Pedes primum et crura deinde occupat, et ſubdole demum ad abdomen monſtrum perrepens, furioſo cum ſaltu, pectori inſilit. Ponderis nunc ſenſum in pectore gravius perſentiſcit, quod, aliis eodem tempore ſignis gliſcentibus, ideam alicujus re vera in eo inſidentis imaginationi aegri imprimit.

Spiritus

Spiritus maxime difficilis, vel nullus eſt. Trachea ſimul, veluti reſte circumjecta, comprimitur. Aurium tinnitus nec raro obtinet. Pulſus admodum languidus, vel omnino deficit.

Nunc horret miſerrimus; et jamjam, ni onus excutiatur, moriturus eſt. Movere conatur, fruſtra vero connititur; membra enim voluntatem ſequi recuſant, nec animi imperio facilius obtemperant, quam ſi rupes monti Oſſae affixae eſſent. Inſomnem interea ſeſe exiſtimat. Subſidium accire enititur; tum vero torpet vox ſpirituſque; non niſi ducit ſuſpiria; gemitus graves et aegre ſonos interruptos edere queat:

——Non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox nec verba ſequuntur.

Mox

Mox, comprenſo aliquamdiu his miſeriis aegro, cruciatus intolerandus prorſus fit. Vires, ut niſum validum extremumque naturae faciat, omnes colligit; ſuiſque tandem votis plerumque reſpondet conatus. Actutum expergefit, et ab omnibus aerumnis ſenſim evadit.

Notabile eſt, quod, aegro nec dormiente neque expergefacto penitus, monſtrum, a remiſſione incepta uſquedum animus redeat, ſenſim, et ut primo acceſſiſſet, recedere videtur; ſed, cum primum diſtincta perceptio evadat, penitus evaneſcit. Nunc aeger compos ſui fit. Cor autem, paroxyſmo finito, palpitat. Animus depreſſus multum languet, et aliquid anxietatis praecordia perſtringit. Illa quoque ſymptomata pedetentim diſcedunt, et tacitum gaudia per-

tentant pectus ob recordationem periculi tam inſtantis modo evitati gratam.

Iis terrificis ſpectris nulla, ut videtur, forma eſt certa. Variant inania pro rebus quas ſomniat aeger; imagineſque aliae aliorum imaginationi ſe offerunt. Interdum beſtiae formam alicujus induunt, veluti felis indomitae, lupi, aliuſve ferae; alias autem ſpeciem humanam prae ſe ferunt; multo frequentius vero eam figuram, quam ſibi vana finxit imaginatio, ipſum ad Plutonem vel ejus hoſpites pertinere, trahunt. Hinc ea ſuborta ſuperſtitio, quae incubum daemonum dormientes vexantium numini malo attribuit. Hanc metaphyſicorum nonnulli, et anatomiae et phyſiologiae imperiti, rationem opera navarunt ſuſtinere *.

DIAG-

* Vide Baxter on the Soul.

DIAGNOSIS.

Ne hoc cum aliis ſomni interpellationibus malum confunderetur, definitionem proponere diagnoſticam neceſſe duxi. Quapropter eam a celeberrimo Profeſſore noſtro traditam, utpote quae mihi plena ſatis videatur, ſimulque quaeque neceſſaria continens, ſubjiciam.

" Oneirodynia *(gravans)* ex ſenſu pon-
" deris alicujus incumbentis, et pectus prae-
" cipue comprimentis *."

Perraro, confitendum eſt, incidit, ut ſingulis in mali hujus paroxyſmis ſenſationes, ſignave

* Vide Cull. Synop. Noſol. Method. Gen. 68.

ſignave omnia ſupra comprehenſa occurrant. Quo enim mediocrior ſit inſultus, eo pauciora ſymptomata, et, quae ſint, minus ſaeviunt. Praeter ponderis ſenſum, et alicujus pectus comprimentis, quae ſomnia, et aliquid angoris excitant, nulla alia multum urgent. Ab his igitur, quae, quaſi propria, oportet ſemper adeſſe, morbus, de quo nunc agitur, ab omni alia oneirodyniae ſpecie ſatis dignoſcitur.

CAUSÆ.

Cauſae, ſi dictas omnes reſpiciamus, evidenter duplicem in claſſem diſcedunt. Aliae, ſcilicet, quas metaphyſicas dicam, ad mentem ſolam; aliae, phyſicae appellandae, ad

corpus

corpus ſpectant. Primum de noxis, nomine metaphyſicis, pauca ſunt dicenda.

Opinio fuit Epicuro, innumeras imaginum turmas exilium, quarum aliae ex rebus externis dimanant, aliaeque per ſe, varie autem invicem miſtae, naſcuntur, in aethere ſemper volitare, noſtraque circum corpora actas eſſe; eaſque facile propter tenuitatem alte penetrare, mentemque impellentes ejus exſuſcitare vires, et tum vigilanti cogitationes, cum dormienti ſomnia, facere. Eae, ut is ſummonuit, animum noctu gravius exercentes, graviora exigunt ſomnia.

Ariſtoteles quodvis ſenſibus externis objectum imprimere characterem certum in mentem humanam, aliamve partem opinatur,

tur, qui, objecto ipso remoto, aliquamdiu manens, postea, etiam per somnum, ab animo recognoscitur, iisque phantasmatis, quae sese aliquando nobis offerunt, originem praebet. Meum hoc temporis minime est, aut illarum examinationem inire sententiarum, vel utriusque comparationem diligenter instituere. Satis dixisse sit, duarum non solum verisimiliorem, sed etiam faciliorem intellectu, posteriorem esse. Insuper, meo saltem judicio, melius pro animi multis facultatibus rationem reddere valet, eodemque tempore, generis nervosi oeconomiae laetius, quantum adhuc nobis patuit, respondet. Multopere vero, hisce serio respectis theoriis, dubito, an vel huic illive referre incubum fas sit.

Aliae autem proferendae adhuc sententiae.

tiae. Haud longe antea certi metaphyſici ſcriptores, quorumque veſtigia medicorum ſequerentur nonnulli, oneirodyniam gravantem omnino menti dabant imaginanti.

Bellinus cenſuit, ex imaginatione ab aliquo daemone pridie impreſſa ortam eſſe. Sententia haec originem traxiſſe videtur ex Paracelſi doctrina de Archeo *. Baxter in eandem fere ſententiam pedibus ivit; is enim, ad phaenomena morbi ſolvenda, ſerio poſuit, certos daemones mentem exagitare, eique, cum ſomnus, veluti amictu, ſenſus omnes obnupſerit, falſis imaginibus illudere. Illas gravi cum vultu conjecturas refutare fere ridiculum eſſet. Penſum certe peringratum foret; ad quod peragendum nec mihi voluntas eſt, neque, ſi eſſet, occaſio memet

* Vide Van Helmont. Arch. Fab.

memet in tantis implicare captionibus moneret. Insuper, ab hoc eo magis absterreor, cum, qui hos metaphysices saltus antea peragravere, hi omnes defessi, et nihil certi referentes, domum redierint. Hoc tantum: Philosophi animus tandem vano daemonum terrore liberatur *; eique licet ex fonte puriore depromere scientiam. Nunc (fari enim juvat) sacrificulorum astutia demittit. Excutiuntur superstitionis vincula. Religio nostra, rejectaneis, cum quibus antea scatebat, purgata est, et cultores saniora docet †. Archei ejusque famulorum ditio dudum cessit, adque nihilum redacta est.

Ad

* Daemonum in nostra corpora, vel hisce temporibus in mentes nostras, potentiam ullam esse pauci jam credunt.—*Cull. Synop. Nosol. Method. p.* 260.

† Olim daemones, variis spectris, hominum mentes decipiebant, fontibusque et fluviis, lignis aut lapidibus

Ad cauſas phyſicas quod attinet; Doctor Willis hoc malum voluit aliquae materiae in cerebello incongruae fluido nervoſo commiſtae deberi *. Sententia haec adeo abſurda eſt, ut vix refutatione ſeria egeat. De fluido enimvero nervoſo, ejuſve indole et partibus conſtituentibus, cognitionis parum certae adhuc comparavimus; quinimo nullum exiſtere medicorum non pauci affirmarunt; quare nullus dubito hanc notionem, incertam et chimericam quaſi, rejicere.

Lowerus, primus ſitum corporis horizontalem annotans, cauſam hujus remotam

pidibus inſidentes ſtultos mortales praeſtigiis percellebant: Jam vero poſt divinum verbi adventum, evanuerunt hujuſmodi fallaciae.—*Athanaſius de Incarnatione Verbi Dei, cap.* 47. *p.* 88.

* Vide Willis de Anim. Brut.

eſſe, morbum tardiori ſanguinis reditui ad cor attribuebat. Hoc illi magis firmari videbatur, ex cadavere cujuſdam inciſo, qui vivus hoc ſaepe malo tentatus fuerat; cum, enim, intra cranium, ventriculum praecipue quartum ſeroſi humoris reperiretur quantitas ſolitum exſuperans, fieri id ob ſanguinis in cerebro remoram, cenſebat. Si autem ex obſervationibus judicare, ſuper quas ſententiam ſuam condidit, fas nobis ſit, cernere clarum eſt, morbum non niſi ſymptomaticum cenſendum eſſe. Hydrocephalo fortaſſis laboraverat aeger, cui cerebrum poſt interitum deſecabatur, et inde aqua quae ab eo reperiretur. Minime tamen negandum, tali ab effuſione quaedam incubi ſigna oriri poſſe *; nec vero ſimul ſequitur, mea ſaltem

* Vide Van Swiet. Com. in Aphor. 1020.

tem opinione, ut ab ea ſola ſemper proveniat hoc malum. Experientia parum brevis docuit oneirodyniae prognoſin eſſe ſatis fauſtam, cum, contra, hydrocephalus morbus ut plurimum inſanabilis judicatur fere ab omnibus.

Doct. Bond in diſſertatione inaugurali ſupra citata, in eandem fere theoriam iviſſe videtur; " a ſanguinis motu aliquomodo " pendere videtur incubus *." Morbi phaenomena humori aut circumacto, aut in vaſculis et encephali ſinubus, vel magnis prope cor et pulmones vaſis, ſtabulanti retulit. Quanquam haec theoria, ingenioſo ab auctore exornata, conſiſtere ex aliqua parte videtur, ei tamen, ni decipior, multa obſtant. Pauca memorabo:

Cauſam

* Vide diſſert. inaug. de Incubo.

Cauſam paroxyſmi cenſere videtur praecipuam eſſe " ſpirituum ſecretionem impe-" ditam ;" hocce autem eſſe rei aſſumptionem exiſtimo ; haud enim certe adhuc conſtat, num ſecretio, eive quicquam ſimile, in cerebro fiat. Porro, encephali compreſſionem putavit ex ſanguinis in vaſis cerebri, ſeu durae matris ſinubus, congeſtione provenire, et inde ſpiritus ſecretioni eſſe impedimento *. At perincertum etiam habuimus, talis humorum, ibi locorum, accumulatio juſta accidat, necne, aut ſane poſſit. Profeſſor noſter anatomiae clariſſimus alio inclinat : " For as the ſubſtance of the " brain,

* Impedito vero ſanguinis regreſſu per jugulares, ſinus durae matris ſanguine turgidos, omnia encephali vaſa ſolito magis comprimere neceſſe eſt ; unde ob ſpirituum ſecretionem impeditam in atrae faucibus mortis haeret aeger.—*Bond de Incubo.*

" brain, like that of the other ſolids of " our body, is nearly incompreſſible, the " quantity of blood within the head muſt " be the ſame, or very nearly the ſame, at " all times, whether in health or diſeaſe, in " life or after death, thoſe caſes only ex- " cepted, in which water or other matter is " effuſed or ſecreted from the blood-veſ- " ſels; for in theſe, a quantity of blood, " equal in bulk to the effuſed matter, will " be preſſed out of the cranium *."

Quin et Doct. Bond remotiores cauſas fluidi intra cranium ſtagnantis praecipuas perhibuit, nimiam eſſe ſanguinis quantitatem atque ejuſdem viſciditatem. Saepenumero (ut ipſe vidi) incumbere morbus aſſuevit,

* Vide Monro's Obſervations on the Structure and Functions of the Nervous Syſtem.

ſuevit, ubi plenitudinis vel humoris viſcoſi nulla cernenda ſigna fuerunt. Huic quoque adde, quod opinio de lentore, ſeu ſanguinis viſcoſitate lubrico, ad ſummum, fundamine nititur. Ob res igitur modo comprehenſas, in hanc mali theoriam facile ire nequeo.

Hanc rem fateor vix, aut ne vix quidem, poſſe plane, ut decet, exponere et perputare; quantum tamen in me ſit, id breviter conabor.

Auctori adſentior ingenioſo, jam toties citato, plethoricos huic morbo concedendo facile nec rarius opportunos eſſe; eos vero aliis proniores recuſo, aut quidem per ſe morbi plenitudinem cauſam eſſe: Omnibus notum eſt, eam haud inſolitam eſſe notam cujuſdam corporis habitus, qui, ut ego ſal-

tem

tem opinor, multo magis ſaevo incubi aſſultui homines facit proclives: Conditio, quam volo, mobilitas, aut de debilitate, ex magna parte, aut forſan irritabilitate et plethora pendens, eſt. " A plethoric ſtate implies, " for the moſt part, a laxity of the ſolids, " and therefore ſome debility of the moving " fibres *."

Mulieres quam viri magis incubo obnoxiae dicuntur; et mulierum eae maxime, quae jam amenorrhoea diu laborarunt; inde enim, ut perhibitum eſt, humores circumacti juſto copioſiores evadunt, quod autem morbo huic proclivitatem dat †.

Neque

* Vide Cullen's Firſt Lines.

† A robuſt ſervant girl, about eighteen years old, was ſeverely oppreſſed with the night-mare two or three

Neque refellere neque firmare in animo eſt, eas menſibus ſuppreſſis laborantes, quam aliae, facilius incubo obrui; ſi autem res ita ſe gerat, eam mobilitati, quam ſolae plenitudini attribuere multo magis adducor; eoque adhuc impenſius, cum ſimul foeminae malo hyſterico, quod debilitatem ac morboſam irritabilitatem cauſam perſaepe agnoſcit, valde opportunae ſint.

Mobilitatem

three nights before every eruption of the menſes, and uſed to groan ſo loudly as to awake her fellow ſervant, who always ſhook or turned her on her ſide; by which means ſhe recovered. She was thus afflicted with it, till ſhe took a bed-fellow of a different ſex, and bore children.—*Bond's Eſſay on the Night-mare, p.* 49. *Caſe* 3.

Diemerbroek exempla varia eodem pertinentia memoravit.

Mobilitatem ex ſtatu debili corporis provenientem cauſam eſſe incubi praecipuam, ex aliqua parte firmat inſequens caſus. Quaedam virgo honeſta, hebdomadis quatuor, quae fluore albo, aegre ab ullis remediis reprimendo, laboraverat, macra tandem et perquam debilis fiebat. Hoc circa tempus paroxyſmis hyſtericis frequenter fuit correpta; atque noctu incubus, ſuo cum comitatu terrifico, ſomnum dirumpens, graviter eam oppreſſit. Ut vero primum fluxui obſiſtebatur, et aliquod virium recuperabat aegra, hyſteriae ſignis quotidie inclinantibus, ſomnus continuus factus eſt, eamque ſatis reficiebat. Se, occaſione ſimili, ſaepe ante eadem incubi ſigna perpeſſam eſſe, ipſa memorat.

Quam maxime idcirco inclinat animus, ut temperamento mobili et laxiori compagi hunc referam morbum. Eſt " varium et " mutabile foemina," iſque, " qui colligit " ac ponit iram temere et mutatur in ho- " ras," nec vero illi, quibus ſolis abundat ſanguis, qui incubo maxime opportuni ſunt.

Cauſae, quae hunc praecipue morbum quovis in corpore jam proclivi excitant, quodammodo iis, ni multum fallor, ſimiles ſunt, et epilepſiam et hyſteriam facientes: Hi ſaltem tres morbi communiter quaedam poſſidere videntur.

Num aura ante paroxyſmi epilepſiae adgreſſionem aliquando ab aegro ſentienda, atque " ſenſus globi in abdomine ſe vol- " ventis, ad ventriculum et fauces adſcen- " dentis,

" dentis, ibique ſtrangulantis," ante oeſtrum hyſtericum obtinens, ephialtae acceſſionem invidioſam ac furtivam aliqua ex parte ſimulent?

Incubus ſaepe aliorum non niſi ſymptoma morborum eſt, irritationum, praeſertim, in diverſis corporis partibus ſubſiſtentium; quo fit, ut vermes in ventriculo et inteſtinis deliteſcentes, nec raro, maxime junioribus, malum efficiant: Eandem quoque cauſam aliquando agnoſcit morbus comitialis.

Porro, ut ſupra traditum eſt, ſitus corporis ſupinus, ſeu partes ſuperiores decumbentis et dormientis nimio aequius declives, ſaepicule occaſionem incubo praebet. An efficiendo, ut cor vaſaque magna adeo premantur in ſpinam, ut eorum actioni obſiſta-

tur,

tur *, an, in vaſis capitis ſanguinis motum tardando, poſitio reſupina incubi cauſa evadit excitans? Quare, ſi illa ratione, dum vigilans homo jacet ſupinus, cordis motus non itidem quieſcit? Si autem ob cauſam hanc, quin ſitus lateralis ſanguinis circuitum intra caput aeque non retardat? Nonne potius ſitus horizontalis, et praecipue ſupinus, omnium maxime debilitet, minuſque ſtimulorum actioni, quibus ſolum vivitur, faveat? Inde enim fit, ut functiones omnes torpent, corpus, jam nimium elanguens, languidius evadit, et vis nervoſae facilius incidit collapſus.

Seu mirum ob conſenſum encephalum inter et ſtomachum, ſeu propter cavum thoracis diminutum, crapula et temulentia cauſae

* Vide differt. inaug. Doct. Bond.

cauſae etiam occaſionales oneirodyniae interdum exiſtunt. Hinc qui larga coena oneraverit ventriculum, is tum, neque alias, ea aliquando corripitur. Eadem vero paroxyſmum epilepticum quoque movent.

Quorum corpora violento et labore continuato fatiſcunt, animique ſimul facultates valde hebeſcunt, ii pulvinaris refectionem petentes, ſomniis ſaepiſſime inquietantur diris, et ſceleſto equitantur ephialte.

Nonnullis, qui ei obnoxii ſunt, epilepſia dormientibus, neque alio tempore, ſupervenit *. De Haen exemplum, in quo plane apparebat, ad aggreſſionem comitialem de corporis inter ſomnum ſtatu omnino proclivitatem pependiſſe, prodidit. Eadem conditio

* Vide Cullen's Firſt Lines.

conditio itidem prorſus fit neceſſaria ad paroxyſmum ephialticum progignendum.

Quamvis hyſteria, incubus, et epilepſia, nonnullis, cauſis praecipue remotioribus, communiter gaudeant, haudquaquam tamen affirmo, omnes unum eundemque, aut quidem morbi ejuſdem varietates, nil praeterea eſſe: De hoc judicent noſologi: Ad meam ſatis rem eſt, ſi tantam inter eos ſimilitudinem intercedentem repererim, quae morbi naturam, de quo agitur, melius exponat, ejuſque moleſtiae ſuccurrat. Quum adhuc generis conditio nervoſi, atque morbi quidem ex eo pendentes, parum clare intelligantur, forſan nefas, cauſam ullam certe prodere hujus mali proximam, exiſtimaretur. Rei idcirco maxime diffiſus rationi proponere liceat: Num cauſa continens,

ſive

ſive juſta ſit, *Energiae* cerebri affectio, ſeu impedimentum, quantum et ad motus corporis voluntarios, et, magna ex parte, involuntarios, ſpectet; cum ſimul ejuſdem, quoad quaſdam animi facultates, perperam tamen, nec decenter, actio maneat *?

QUO-

* Quicunque rationes epilepſiae, ſyncopes palpitationis cordis, et paralyſis ſedulo perpendat, eorumque hiſtorias a practicis delineatas hoc cum morbo, de quo nunc agitur, conferat, is, ni ego fallor, haud aegre mihi concedet, ephialtae proximam ſupra prolatam, nec multum a cauſa vera diſtare.—*Vide Firſt Lines, 4th edit.* § MCXL. MCLXXV. MCLXXX. MCLXXXIV. MCCLXXXIV. MCCCLX. MDXL. ——V.

QUORUNDAM EXPLICATIO SYMPTOMATUM.

Somnia dira.—" Somnia," ait illuſtris medecinae theoreticae Profeſſor, " fiunt, vel " propter hominem non plene ſopitum, cui " memoria et imaginatio adhuc vigent, " quamvis voluntatis imperio manumiſſae; " vel propter impreſſiones quaſlibet, inter- " nas vel externas, adeo validas ut eum " ſentire faciant, quamvis non rumpant " ſomnum *." Hoc in morbo, illa horrenda fiunt propter ſanguinem in cordis ventriculis, atriis, vaſiſque magnis accumulatum, atque ea plus aequo diſtendentem. Nimirum in hoc ſtatu, ut videtur, homo ſenſus,

* Vide Conſp. Med. Theoret.

ſenſus, quem percipit, cauſam quaerit, et abſurdas et ridiculas ſaepe ſibi fingit. Hinc quicquid homini vigilanti metuendum videtur, idem obdormiſcenti et ſomnianti ſeſe quoque offert. Inde vero formae cujuſvis terrificae ratio eſt, quae aegro incumbat. Nonne quoque ſomnia horrenda hic vexantia, veluti delirium, ob motum ſanguinis per cerebrum inaequalem, et tardatum effingi poſſunt? Ita cenſeo. Denique, ſomnia judico horribilia quoque excitari, propter illam anxietatem corpoream, quae ex ſpiritu pene, vel omnino, interrupto oboritur.

Pulſus intermiſſio.—Hoc ſymptoma oriri videtur, vel a nervoſa vi inaequaliter in cor ſyſtemaque arterioſum influente, vel ab eadem vi cerebri adeo infracta et exhauſta, ut neque cordis actionem nec vaſorum ſu-

ſtinere diutius valeat, ut decet. Hanc igitur ob rem ſyſtole deficit, cordiſque cava omnia plus ſolito cum ſanguine diſtenduntur *.

Spiritus difficilis.—Spirandi difficultas cauſas agnoſcit, partim pulmonum vaſa, ſimulque cor ſuaque magna vaſa ſanguine infarcta, partimque, et maxima ex parte, facultatem muſculorum reſpirationis et bronchiorum amiſſam, propter vis nervoſae defectum †.

Strangulationis

* Langueſcit ſaepe ſanguinis motus, imprimis ob debilitatem, torporem, defectum irritationis, veluti exercitationis; ſicubi vel vires deficiunt, vel non, ut decet, excitantur, aut excitari poſſunt.—*Conſp. Med. Theoret.* § 473.

† Vide Conſp. Med. Theoret.

Strangulationis ſenſus, gemitus, et ſuſpiria. —Haec omnia reſpirationem laeſam, et impeditam pro cauſa agnoſcunt. Muſculi enim linguae, laryngis, et thoracis, quibus efformatur vox diſtincta, haud, in hoc morbo, ſicut debent, voluntatis imperio obtemperant.

Bombi et aurium tinnitus.—Haec ſigna moleſta, terroremque magnum nec raro injicientia, haud infrequenter generis nervoſi affectiones comitantur. Aliquando quoque oriuntur " ab aucto nervorum et muſculo-" rum auris labyrinthi ſenſu et mobilitate:" Originem in ephialte inde, et, partim quoque, ex vehemente animi affectione, trahunt.

Senſus

Senſus ponderis, pectori imcumbentis.— Haec a pleriſque ſenſatio moli ſanguinis ingenti in pulmonibus, cordis ventriculis et vena cava, tum collecti, aptiſſime refertur: Eandem enim ponderis notionem, ſive intus ſive extus ſit, capere mens videtur. Nec idcirco penitus falſo de hoc incubitu judicat. Num etiam, aliqua ex parte, ponderis ſenſus illae anxietati, propter ſpiritum defatiſcentem oriundae, attribuatur?

Corporis immobilitas.—Muſculi motus voluntarii, ſtimulo idoneo admoto, inter ſomnum aeque ac vigiliam moveri queant. Hoc clare evincit ſomnambulantium uſus nocturnus. Cauſa autem juſta, ni fallor, corporis hoc ſub morbo immobilis ſupra tradita fuit, vis, ſcilicet, nervoſa in motus organa impedita. Vaſti quoque imago ponderis,

deris, in pectore insidentis, oblata menti, facile efficit, ut corpus vix posse moveri credat decumbens.

Nisus ad morbum excutiendum.—Hi pro causa quasque graves sensationes unitas agnoscunt. Æger se in summo periculo versari existimat: Suffocationem enim instantem valde timet. Animalis incumbentis malevolentia rabiesve eum terret: Huc et illuc animum jactat, milleque fugae vias explorat; spe autem effugiendi destituitur. Tandem vicit terror, stimulo vi nervosae est, somnique vincula et somnia simul rumpit: Solitas musculi trahunt sibi vires: Excutitur incubus. Sic est cernere ephialtem demum natura sibimet curationem praestare.

Palpitatio

Palpitatio cordis.—Anxietatis aliquid cordiſque palpitatio plerumque ſunt ſigna paroxyſmi noviſſima, quae ab aegro ſentiuntur. Actio cordis vehemens, abnormis, hic obtinens, a duplice cauſa incipit, ab ſanguine, nempe, in cavis ejus nimis abundante; et ab ſtatu generis nervoſi praeter naturam mobili. Hanc etiam ob cauſam, malum hyſtericis familiare eſt.

EVENTUS EXPECTANDUS.

Quamvis plerique inter ſcriptorum vetuſtiores, qui hoc ad malum animadverterint, ſemper fore infauſtum portenderunt eventum, iis tamen penitus aſſentire hac ſuper re haud poſſum. Si morbus ſit quaſi primarius, neque de aliis periculoſis pendeat,

deat, quippe qui ſtatum tantum generis nervoſi peculiarem oſtendat, is, ſicuti hyſteria, epilepſia, aliaque vitia ipſi affinia, quanquam eſſe longus et moleſtus, nec tamen ſaepe lethalis cernatur. Haud nihilominus negabo, quin, alia occaſione, homines ab eo graviter impliciti ſuffocatione periclitentur: Nec enim vero dubitandum eſt, quin incubus, quamvis varias ob res difficulter annotandas, e medio nonnullos extulerit.

Si incubus non niſi ſymptomaticus eſt, prognoſtica de morbi indole, quem comitatur, omnino pendeant.

Opinio quorundam medicorum eſt, eum rarius ſuam per vim, quam graves inſecuturos morbos, quos denunciare ſolet, lethiferum

ferum esse: " Incubus, vitium quod in " somnis prehendit, sua quidem natura non " admodum parvum est; verum magna qua- " dam mala portendit, morbi comitialis, " melancholiae species, morbum attonitum, " atque ea non procul abesse, si frequens " incubus invadit, significat *." " Caven- " dum est ab initio; nam ubi diu durat as- " sidue irruens magnos morbos, insaniam, " morbum comitialem aut sideration em de- " nunciat †." Denique, audi quid, eodem pertinens, dixit Lommius: " Qui hac " aegritudine multo jam spatio temporis, " ac frequenter occupantur, hisce grave a- " liquid capitis malum, puta vertiginem, " morbum tum attonitum, tum comitialem, " maniam, nervorum distentionem, aut " subitam

* Vide Actuar. lib. 5. cap. 17.

† Vide Paul. Aeginet. lib. 3. cap. 19.

" ſubitam mortem, impendere, ſciendum " eſt *."

Boerhaavius etiam, medicus nunquam non venerandus, in aphoriſmorum libro de apoplexiae ſymptomatis differens, ephialten tanquam ejuſdem ſignum annumerat.

Iſtorum tamen pace ſcriptorum, diris prognoſticis, quae tam confidenter enunciarunt, non obſtantibus, ducor, tum ex pluribus exemplis mihi ipſi oblatis, tum mali natura, ut multo minus id periculoſum credam, quam illis ſaltem edicere viſum eſt.

* Lom. Obſerv. Med. lib. 2.

RATIO MEDENDI.

Incubi curatio, quantum ſympathicus eſt, adfectus primarii adminiſtratione omnino innititur. Si pro cauſa dyſpepſiam, (quod perſaepe novi) vermes in tubo inteſtinali inhoſpitantes, aliave ſimilia, agnoſcit, curandi via iſtis vitiis primum obortis accommodanda eſt. De iis vero hic non locus dicendi eſt.

Ephialtae adminiſtratio, ſtrictius idiopathici dicti, facile binas in partes ſeſe reſolvit, quarum altera nec niſi eſt methodus temporaria, et, ut ſolum ad paroxyſmum pertineat, ſic ad ſympathicum pariter ac idiopathicum accommodatur; altera autem abſoluta

abſoluta eſt, et ad morbi cauſas tum praedisponentes tum excitantes reſpicit.

Via primam abſolvendi fere omnibus patet. Si aeger in ipſo mali paroxyſmo deprehendatur; ſique multo vexetur angore, ſuſpiriis, gemitu diſrupto, voceque exili cognoſcendo, ullum, etiam ſtimulum leviſſimum, admovere cuivis corporis parti, ut pellat morbum, plerumque ſat erit.

Practicorum nonnulli fluidi aliquid, aceti praecipue, faciei aliaeve corporis parti conſpergi voluerunt; hoc autem prorſus ſupervacuum eſt; ſui enim ſtimuli ad ſenſus organa applicatio, veluti ad naſum odores, aures ſoni, linguam ſapida, ſatis medici voto ſemper reſpondebit.

Si

Si ſupine, ut ſaepius fit, inter paroxyſmum jaceat aeger, eum, quo excutiatur morbus, in latus convertere convenit; quod quidem plerumque facit ipſe, cum primum expergiſcatur.

Incubo medendi ratio abſoluta ex cauſis, ut antea dictum, remotis perſpectis inſtituenda eſt. Conſilium proponere duplex volo. Primum, ut noxae occaſionales, unde oritur, evitentur; alterum, ut cauſae proclivitatem facientes amoveantur, certe minuantur.

Cum dormientes ſupine multo frequentius incubus obnoxios adgrediatur, eoque recte habeatur ſitus corporis reſupinus pro cauſa excitante, ab eo opportuno cuique cavendum eſt, atque corpus ipſum ante, quam

quam obdormiſcat, alterutrum in latus componendum eſt *. Caſum Lowerus in tractatu de cordis motu deſcripſit, quem, quodammodo huc pertinentem, transferre nil dubitavi: " Imo novi quendam incubo " olim maxime obnoxium, virum alias ro- " buſtum et ſatis ſanum, qui per duos annos " non in dorſum converſus dormivit, quin " illico affectu iſto corriperetur, adeo ut " neceſſe haberet ſervum contubernalem in " eodem lecto decumbentem, admittere, qui " ſtatim ac gemitus et ſuſpiria, quibus af- " fectus iſte incipere ſolebat, exaudiret, ip- " ſum in latus alterum converteret; quo " factum eſt ſemper, ut inſultus iſti praeca- " verentur."

Reliquae

* Plethoricos omni cura fugere opportet decubitum ſupinum, facile enim incubo premuntur.—*Hoffman de diaeta.*

Reliquae noxae excitantes, ſi tantum ſatis notae ſint, facile effugientur; de iis autem ſatis fuſe ſupra dixi. Haud parvi momenti eſt eas quam maxime evitare; quippe malum a crebra paroxyſmi invaſione, non ſolum totius vires corporis adhuc magis infringat, ſed ipſum a conſuetudine ita firmetur, ut ſanatu tandem difficilius evadat.

Mobilitati hujus morbi propriae, ut ſupra traditum, cauſae praediſponenti, diverſis modis obviam eatur. In hac curationis tractanda parte reſpiciendum eſt ad varias corporis conditiones, unde orta mobilitas eſt. Si ea, ex medicorum ſententia ſolertium plurimorum effectus, nec plenitudinis cauſa ſit, modi eam corrigendi neminem latent. Exercitatio et diaeta rite adminiſtratae plerumque ſufficient. Si vero quando

do *turgeſcentia* occaſionalis poſtularet, eo tempore, quo pravis effectis quam citiſſime obſiſtatur, nunquam non convenit copiam ſanguinis detrahere. Plenitudo, quae ab menſtruorum defectu in magna mobilitate mulieribus, vel ab alia evacuatione arte facta, vel menſibus, ſi poſſibile ſit, deductis, minuitur *. Epilepſia, apoplexia, aut hyſteria

* A young lady about twenty, of a full, ſanguineous habit, and lax ſyſtem of fibres, laboured under an obſtinate obſtruction of the catamenia for ſix months. About ſix weeks after her firſt period elapſed, ſhe had a ſevere fit of the night-mare, and next morning ſhe ſpit near a pound of blood, part of which was coagulated. She complained of an anxiety and oppreſſion in her breaſt for ſeveral days afterwards. She ſoon grew well, and continued ſo till a month had paſſed, when the night-mare returned, and was ſucceeded by a ſpitting of blood; but the ſecond

ſteria jam minitans ſeu expectata tanto convenientius reddet, ut aliquid humoris foras mittatur.

Alia nec cauſa mobilitatis infrequens eſt debilitas. Si haec, ut ſaepiſſime fit, originem ex habitu ingenito traxerit, ſanari vix aut ne vix quidem poteſt. E contrario, ſi, vitae decurſu, a genere vivendi parum naturae convenienti vitium fuerit factum, multum ut plurimum ad id corrigendum poſſumus.

Corrigitur,

ſecond fit was not ſo ſevere as the firſt. She had periodical fits and diſcharges of this kind, till, by proper remedies, the redundant ſtreams were conveyed through their uſual channels, which, at the ſame time, carried off the cauſe and heavy effect of the night-mare.—*Bond's Eſſay on the Night-mare, p.* 48. *Caſe* 2.

Corrigitur, ex aliqua parte, debilitas frigidiuſculo in aëre verſando; exercitio viribus et conſuetudini aegri antecedenti accommodato; ſaepius balneo frigido utendo; diaeta idonea; et denique remediis roborantibus, qualia ſunt cortex Peruvianus, amara omnia, chalybeata, &c. ſolerter exhibitis. Opium aliaque antiſpaſmodica, praecipue ex regno animali detracta, ſummis quoque laudibus, ob virtutes, quibus adverſus mobilitatem pollent, efferuntur.

Si ab exinanitione, uti illo in exemplo virginis antea notato, provenire debilitas videtur, ea, pariter atque mobilitas inde incepta corrigi, plenitudinem ſimul reſtituendo, et vaſorum tenſionem ſecundae valetudinis propriam, poteſt: Quo autem haec optime exequamur, quique fluxus praeter

naturam quam maxime reſiſtendi, atque cibi nutrientes, aliaque eidem conſilio inſervientia, induſtrie adhibenda ſunt.

FINIS.